JOAN.
DESPAUTERII
NINIVITÆ
ARTIS VERSIFICATORIÆ Compendium.

Accessit appendix de Accentibus.
Item de Figuris Liber.

Prioribus editionibus longè emendatior.

Editio Novissima.

GLASGUÆ.
Excudebat ROBERTUS SANDERS,
Civitatis & Universitatis
Typographus.

M. DC. LXXII.

DE PEDIBUS METRICIS.

Pyrrhichius geminis brevibus fluit, & salit acer.

Spondeum longis liquet & constare duabus.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur *Iambus*.

Quòd si longa brevem præcedat, habeto *Trochæum*.

Dactylus ingreditur longâ, brevibusque duabus.

At geminis fertur brevibus longaque *Anapæstus*.

Tres brevians *Tribrachys* rapido volat ocior *Euro*.

Vult *Proceleusmaticus* brevibus constare quaternis.

Longa, duæque breves, & longa; creant *Choriambum*.

ARS VERSIFICATORIA.

LIBER X.

Carminis, & metri, seu versûs definitio.

QUID est Carmen? Oratio strictiore pedum lege coërcita, & ornatissimum dicendi genus. Unde dicitur carmen? A canendo, quod sit aptum cantibus. Non, quod lenocinio vocis cantanda sint carmina, sed cum quadam gravitate pronuncianda. Nam autore Cæsare, qui benè legit carmina, benè cantat: qui verò benè cantat, malè legit. Quomodo aliter dicitur carmen? *Metrum*, ex eo quòd certâ pedum mensurâ carmen metiri soleamus. Quomodo aliter? *Versus*, quod tam diu verti debeat, quoad rectè constituatur: vel quòd uno versu finito, ad principium alterius vertamur.

De Pede.

Quid est Pes? Syllabarum dispositio certo numero definita. Dicti autem sunt pedes, quia quemadmodum pedibus ambulamus, sic carmina quibusdem quasi pedibus incedere videntur: vel quia per eos veluti scalarum gradus carmina scandimus. Quid est Scansio? Legitima metri per singulos pedes distinctio. Dic aliquot ex vulgatioribus carmina. *Hexametrum, Pentametrum, Sapphicum, Asclepiadeum, Phaleucium.* Habesne super his regulas? Habeo. Ostende.

De Hexametro versu

Hexametrum senis carmen pedibus fit: & aptè
Dactylus est quintus: sextam sibi vult regionem
Spondeus: reliquisque locis sit uterlibet horum.

Dic sensum. Carmen Hexametrum sex pedibus constat: quorum quatuor primi sunt Dactyli vel Spondei: quintus tantúm Dactylus, sextus vero Spondeus. Quid est Dactylus? Est pes constans tribus syllabis, quarum prima est longa,

& duæ ultimæ breves: *Ut scribite carmina.* Quid est *Spondeus?* Est pes constans duabus syllabis longis: ut *Dantes, scribunt.* Affer exemplum carminis Hexametri?

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab oris. sc. venit.

Scande: *Arma vi* Dactylus, *rumque ca* Dactylus. *no Tro* Spondeus, *iæ qui* Spondeus, *primus ab* Dactylus, *oris* Spondeus. Scande, i. distingue pede; metire carmen, &c. Cur dicitur *Hexametrum?* Quia sex pedum ictibus ipsum metimur ab hex, i. sex, & metron, i. mensura. Quid in id annotari præcipit Despauterius? Hæc sequenti regulâ contenta:

Pedes nothi, sive illegitimi in Hexametro.

Hæc te legitimè docui; nam sæpe Poëtæ
Ista minus servant. Tu quanta licentia cautus
Est permissa vide, ne quando turpiter erres:
Namque rei gravitas quinta in regione locavit
Spondeum: veluti, *Magnum Jovis incrementum.*
Datque pedes alios Maro: tu puer elige legem.

Explica. Heroici versûs pedes legitimi, i. ex carminis lege debiti, sunt dactylus & spondeus: admittuntur tamen nothi, i. illegitimi, per poëticam licentiam, quam cavebis, quia raro occurrit, nec nisi in magnis operibus eorum Poëtarum, qui extra omnem invidiæ aleam positi sunt. Poëtæ itaque in quintâ regione sæpè spondeum locant, ubi rei gravitas, & majestas significatur, aut mœror & languor: tamen id raro est faciendum. Virg.

Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

Idem. *Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ*
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad undam?

Et iterum de Sinone maximam tristitiam languorémq; simulante, *Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.* Hi versus *spondiaci* dicuntur. Quandoque sexto loco est Dactylus; sed vix, nisi hypermeter locum habeat, & una syllaba redundet. Virg.

At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.

Ob eam rem tales versus *dactylici* appellantur. Reperiuntur & alij peregrini pedes in diversis locis hexametri, qui sunt Anapæstus, proceleusmaticus, nisi cæsuræ licentiam esse velis

velis. Tu licentiam cavebis, nisi tantus fueris, quanti hi, apud quos ea licentia repetitur, & tum ita cautè, & ita parcè licentia utêris, ut veteres. Qui sunt hi pedes quorum modo meministi? Jambus est pes constans duabus syllabis, priore brevi, alterâ longâ: ut Doces. Anapæstus pes constans tribus syllabis; quarum duæ primæ sunt breves, & ultima longa.

Virg. *Proluit insano contorquens vortice sylvas.*
Fluviorum Rex Eridanus: camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit.---

Proceleusmaticus pes qui constat quatuor syllabis brevibus. ut Ariete: & vertitur in dactylum per synerasin, quasi vocalis fiat consonans. *Hærent parietibus scalæ, posteſque sub ipsos.*
Nituntur gradibus.---

Est autem synæresis, duarum syllabarum in unam propter versum contractio. Subjice reliqua.

Ultima versûs anceps.

Ultima cujusque est communis syllaba versus.
Ne credas esse in sexta regione trochæum.

Ultima syllaba cujuscunque versûs est anceps: id est, communis pro arbitrio componentis.

Penthemimeris cum alijs cæsuris.

Per *Penthemimerim* brevis est producta licenter.

Penthemimeris, est ubi post duos pedes manet syllaba partem orationis finiens: veluti *Omnia vincit amor.---* hic post duos pedes, *omnia*, *vincit a*, manet syllaba, *mor*, finiens hanc orationis partem *amor*, cujusmodi syllaba invenitur licenter produci ratione cæsuræ, cum naturaliter sit brevis, ne dicatur tertio loco esse Iambus quem non recipit heroicum. Cæsura vel lectio est syllaba relidua in fine dictionis post pedem absolutum, quæ, si brevis sit, licentiâ extenditur. Quatuor species habet. *Triemimerim*, ubi post unum pedem manet syllaba dictionem finiens. Virg.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Penthemimerim, ubi post duos pedes syllaba manet. Virg.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Hephthemimerim, ubi post tres pedes. Virg.

Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.

Enneëmimeris, ubi post quatuor pedes. Virg. Ecl. 6.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Pentametrum carmen.

Pentametrum vult quinque pedes : pes tertius esto
Semper *spondeus* : quartus quintusque *anapæstus* :
In reliquis *spondeus* erit, vel *dactylus*, ut vis.

Pentameter versus constat quinque pedibus, quorum tertius semper spondeus est; quartus & quintus anapæstus, reliqui spondei aut dactyli, vel hi mixti: ut vis, Semper autem adsit Penthemimeris, sive cæsura: Exemplum, *Omnibus invideas livide, nemo tibi.* Metire; *omnibus*, dactyl. *invide*, dactyl, *as li*, spond. *vidi ne*, anapæst. *mo tibi*, anapæst. Alij scandendo post duos primos pedes faciunt cæsuram, deinde duos dactylos sumunt cum alterâ cæsurâ: sic,

Arte leves currus, arte regendus amor.

Arte le, dactyl. *ves cur*, spond. *rus*, cæsura, *arte re* dactyl. *gendus a* dactyl. *mor.* cæsura. Unde dicitur Pentameter? A pente, i. quinque, & metron, mensura: quia quinque habet mensuras seu pedes. Pentameter versus cum hexametro junctus facit carmen Elegiacum, miserijs, alijs etiam rebus scribendis aptum, quale est Ausonij.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progredière loco.

Et debet cum eo sensum concludere, aut suspendere; ita ut in sequentibus duobus penitus absolvatur. Aliquando tamen sententia protrahitur in multò plures versus, quod rarum est

Asclepiadeum carmen.

Vult *Asclepiadis* versus *spondeon* habere
Principio : binos hinc rite capit *choriambos*,
Pyrrhichius sequitur, quo non velocior alter.

Asclepiadeus versus constat Spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio: ut Horat. Od. 1.

Mæcenas atavis edite Regibus: Distingue pedes *Mæce* spondeus, *nas atavis*, choriambus, *edite re*, choriambus, *gibus* Pyrrhichius. Alij sic, *Mace* spondeus, *nas ata*, dactyl. *vis* cæsura, *edite*, dactylus, *Regibus*, dactylus. Quis pes Choriambus? Qui constat quatuor syllabis, quarum prima est

est longa. secunda brevis, tertia brevis, quarta longa: ut *Nobilitas*. Quis pes *Pyrrhichius*? qui ex duabus brevibus conficitur: ut *Deus*, unde dicitur versus *Asclepiadeus*? Ab Asclepiade inventore. Dicitur & *Choriambicum*. Sunt & alia duo Choriambicorum genera, de quibus consule Buchanani Prosodiam.

Sapphicum carmen.

Quinque pedes Sapphus carmen capit: esse *trochæus*
Vult primus, quartusq; & quintus: tertius autem
Dactylus: ipse locum sumes *spondee* secundum.
Hoc carmen post treis versus sibi jungit *Adonis*
Metrum: quod sic fit, *spondeum dactylus* anteit.

Carmen *Sapphicum* constat trochæo, spondeo, dactylo, duobus trochæis; veluti *Ut queant laxis resonare fibris.*

Metire, *Utque* trochæus. *ant la* spond. *xis reso* dactyl. *nare* trochæus: *fibris* trochæus. Catullus sæpè duos trochæos primos ponit, quem imitatur Buchananus. *Psal.* 90.

Mox humi comis jacet arefactis.

Huic carmini post tres versus subditur *Adonium* sive *Adonicum*, sic dictum ab Adone inventore, dactylo & spondeo constans: ut apud Severinum Boëthium. *Nubibus atris, Condita nullum*, &c. Nomen habet à Sappho puella primùm hoc genere apud Græcos usâ. Quid est *trochæus*? *Pes* qui ex longâ & brevi construitur, ut *Solve.*

Phaleucium carmen.

Quum facies carmen, quod composuisse *Phaleucus*
Dicitur; in prima *spondeus* erit regione:
Dactylus inde datur, triplicem cui junge *trochæum.*

Phaleucium constat spondeo, dactylo, & tribus trochæis: ut apud Catullum. *Passer deliciæ meæ puellæ.* Scande, *Passer* spond. *delici* dactyl. *æ me* troch. *æ pu* troch. *ellæ*, troch. Nomen accepit à Phaleuco inventore, & dicitur aliàs *hendecasyllabum*, quod sine Synalœphâ & Eclipsi undecim est syllabarum. Catullus in prima regione usus est promiscuè Iambo & Trochæo, de quo vide Buchanani Prosodiam. Quæ sunt figuræ scansioni potissimum deservientes? *Synalœpha, Eclipsis, Synæresis, Diæresis.* Profer de his regulas.

Eclipsis, & Synalœpha

M necat *Eclipsis*, ceu vocalem *Synalœpha*:
Dictio dum sequitur, quæ à vocali incipiatur.

Eclipsis est (m) literæ cum suâ vocali detractio, quoties dictio aliqua in (m) literam desinit, & dictio sequens à vocali inchoatur, ut in hoc versu.

Virtutem primam esse puta compescere linguam.

Scand *Virtu* spond. *tem pri* spond. *messe pu* dactyl (*a* & *m* detractis) *ta cum* spond. *pescere* dactyl. *linguam* spond.

Virg.---*Multùm ille & terris jactatus & alto.*

Scanditur sic, *Multul, let ter, ris ja ctatus &, alto.*

Synalœpha, est vocalis detractio, quoties dictio in eam desinit; & sequens à vocali exordium sumit: ut,

Sera nimis vita est crastina, vive hodie Scande:

Sera ni, mis vi, test cra, stina vie v hodiè. Quod si versus finiatur in (*m*) vel in vocalem, & sequens à vocali incipiatur, nulla erit eclipsis aut synalœpha, præterquam in paucis versibus, qui dicuntur *hypermetri*, ubi in versu finito manet syllaba, in (*m*) vel in vocalem desinens, quæ à principio alterius versûs detrahitur, qui à vocali incipere debet: ut, Virg.

Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque
Adspicit & dulceis moriens reminiscitur Argos,

Idem. *Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,*
Et folijs undam tepidi despumat aheni.
Vocalis non detracta, sed correpta tantùm.

Non perimens longam rarò breviare Poëta
Consuevit: veluti *sunt insulæ ore canendæ.*

Vocalis ante vocalem non semper detrahitur, sed aliquando longa solum corripitur, quod notandum magis quam imitandum. Virg. *Et longum formose vale*, vale, *inquit Iola.*

Credimus? an qui *amant, ipsi sibi somnia fingunt?*
Nunc magno nobis sunt insulæ *ore canendæ.*

Vocalis ante vocalem immutata.

Id mirare magis, vocalem nil variatam
Interdum cernes: velut *Jonio immenso.*

Aliquando vocalis manet invariata; sed id quoque magis notandum

notandum quam imitandum. Ovid.

Jactari quos cernis in Jonio *immenso.*

Versus est spondiacus. Virg.

Et succus pecori *& lac subducitur agnis.*

O. & HEU.

Heu, ô non perimes: at *ô* interdum breviabis.

O & Heu, ante vocalis integræ manent. Ovid.

O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis. Virg.

Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon. O Alexi: Trahit sua quemque voluptas.

Ubi O etiam corripitur. Ovid.

Heu ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebas? &c.

In his ergo Synalœpha nihil juris habet.

Vocalis ante vocalem in eadem dictione absumpta.

Vocalem perimunt plerumque in nomine eodem:
Sic Maro docte refers, *alvearia vimine texta.*

Synalœpha fit nonnunquam in eadem dictione. Virg.

Seu lento fuerint alvearia *vimine texta*, Scande alvaria,
Propert. Eosdem *habuit secum quibus est ejecta capillos.*
Scande, *of dabu, it se*, &c. Hæc contractio fit plerumque in possessivis in (*reus*) finitis. Ovid. 12. Metamorph.

Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aureaque
Ex humeris medios coma dependebat in armos. Propert.

Ferreique *Eumenidum thalami.*----Sic contrahuntur.

Apud poëtas ablativi *eâdem & eodem.* Virg. in Bucol.

Uno eodémque igni.---- Propert.

Hâc eâdem rursus Lygdame curre viâ.

Synæresis nulli vitanda.

Omnibus ista licent, *huic, cui, dij, dijs*, quoq; *dehinc, dein Proin, deest, semianimis, prout, deorsũ, præhendere, seorsũ* Sic *ij*, sic *ijsdem.* Quædam divisa leguntur.

Synæresis est duarum vocalium naturaliter diversarum in unum contractio, ut Thesi pro Thesei. Phæton pro Phaëon: auris pro aureis. Virg. 1. Æneid.

Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aurîs.

In ſequentibus ſolet eſſe licentia in carmine, *huic, cui, dÿ, dÿs, dehinc, dein, proin, deeſt, ſemianimis, ſemiuſtus. ſemihomo, prout, deorſum, prehendo, ÿ, ÿſdem:* ut

Huic *conjux Sichæus erat.* Cui *pendêre ſuâ patereris in arbore poma.* (Quædam diviſa leguntur.) Nam *huic* diſyllabum eſt Sidonio *Aſſurrexit* huic, *coxit quos torridus Auſter.* Albinus. *Ille* cui *ternis Capitolia celſa triumphis.*

DIÆRESIS.

Scandere ſi benè vis, cognoſce *Diæreſin* aptè.
Ex unâ per quam duplex fit ſyllaba ſemper:
Sic *ſylüæ* vates lyricus triſſylabon effert.

Diæreſis eſt unius ſyllabæ in duas diviſio: ut *ſylüæ* diſyllabum eſt, ſed vates lyricus Horatius per tres ſyllabas ſylüæ dixit: ideo notitia hujus figuræ ad ſcanſionem neceſſaria eſt. In verbis Volvo & Solvo frequens eſt diæreſis apud Poëtas. Catul. de paſſere. *Quod zonam* ſolüit *diu ligatam.*

Ovid. *Debuerant fuſos* evolûiſſe *ſuos.*

Diæreſis, id eſt diviſio, Diaireo, id eſt divido.

I vocalis ubi putatur eſſe conſonans.

Nominibus Græcis non conſonat i, ſed Hebræis:
Quapropter dices *Iacobus, Iambus, Iaſpis:*
Profer *Iulus, Iapys, Ioannes & Iaſon:*
Suaveque ab indoctis laniatum nomen *Ieſus.*

I litera nunquam in Græcis, ſed ſæpè in Hebræis eſt conſonans, unde Iacobus quatuor ſyllabarum eſt, Iambus, Iaſpis, Iulus, Iapys, Iaſon, &c. trium. Ieſus autem triſyllabum eſt.

Quot ſunt regulæ generales quantitatis ſyllabariæ? Duodecim. Cedo quæ?

Prima de Poſitione.

Dum poſtponuntur vocali conſona bina,
Aut duplex; longa eſt poſitu. Quod ſi duo ſubſint
Finali, rarò poſitu producitur illa.

Vocalis naturaliter brevis, quam duæ conſonantes continuò ſequuntur, ita ut una conſonantium in eâdem dictione

ipſi

ipſi vocali adhæret, aut vocalis quam in eadem dictione ſequitur duplex x, & z: vel j conſonans in medio dictionis non compoſitæ, inter duas vocales poſita: ut Maja, producitur ea vocalis poſitione, ſive poſitu conſonantium, vel duplicis. Excipe in nominibus bijugi, trijugi, multijuges, &c. Cur dixiſti *vocalis*? quia omnis ſyllaba gratiâ vocalis quanta dicitur. Cur dixiſti *ita ut una conſonantium*, &c. Quia non oportet ſemper utraq; in eâdem ſyllaba locari, ſed una poteſt eſſe in fine unius dictionis, & altera ſtatim in principio alterius dictionis ſequentis: verbi gratia (*a*) in *at* corripitur eadem, ſi conſonans in principio ſequentis dictionis ponatur, producitur. Virg. 4. Æneid.

At Regina gravi jamdudum ſaucia curâ.

Exempla regulæ ſunt, Tempus, annus, luſtrum, dixerunt, azymus, aio, &c. Conſonans bis poſita pro duabus habetur; ut, prima in annus, &c. Declara illud, Quod ſi duo ſubſint finali raro, &c. Hoc eſt, Oportet ex ijs conſonantibus alteram ſemper eſſe junctam cum vocali. Nam ſiqua dictio terminatur in vocalem brevem: & huic ſubjicio in verſu dictionem, in cujus initio ſunt duæ conſonantes: fallor ſi puto illam vocalem finalem brevem poſſe produci poſitione, quanquam hoc factum aliquando reperiatur: ut apud Juven.

Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Occul ſpond. *ta ſpoli* dact. hic *ta* longa eſt poſitione conſonantium *ſp.* ſed quod tam rarum eſt, non eſt trahendum in exemplum.

Regula ſecunda de liqueſcentia.

Cum mutâ liquidam ſcribens in ſyllaba eadem,
Ancipitem ponas vocalem, quæ brevis eſſet;
Hanc tamen in proſa ſemper breviare jubemus.

Sunt *hr*, liquidæ: queis rarò jungimus *n*, *m*.

Quando vocalem natura brevem ſequuntur muta & liquida, eandem cum ſequente vocali conſtituentes ſyllabam, ita tamen ut præcedens vocalis in eadem dictione ponatur, ipſa eſt anceps in verſu, in proſa vero ſemper correpta. Mutæ ſunt b, c, d, f, g, k, p, q t: Liquidæ l & r aliquando n, m.

Ovid. *Et primo ſimilis volucri mox vera volucris.*

Virg. *Albanique patres, atque alt æ mœnia Romæ.*

Ovid. *Tempus, Atla veniet, tua cùm spoliabitur auro Arbor* --
Sic ibidem. *Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas*, &c.

De *n* & *m* rariora sunt exempla: ut, Arithmos id est numerus: & cycnus, quæ corripiuntur. Horat.

Donatura cycni si libeat sonum.

Versus est Asclepiadeus. Cur dixisti in regulâ *vocalem naturâ brevem*? Quia quæ sine positione producitur, nulla liquescentiâ potest corripi: ut prima in Matrimonium.

Cur dixisti, *eandem cum sequente*, &c. Quia alioqui liquescentia locum non haberet: ut abnuo, obruo, &c.

Regula tertia de Diphthongis.

Diphthongum produc in Græcis atque Latinis.
In Græcis semper: verum subeunte Latina
Vocali, brevio: veluti *præit*, atque *præustus*.

Omnis diphthongus naturaliter producitur tam in Græcis quàm in Latinis: ut Musæ, cœna, audio, euge. In Græcis quidem etiam subeunte vocali: ut Æacus, OEagrus: in Latinis verò tum corripitur sæpius, ut præesse, præhendo, & omnia à præ composita, sequente vocali. Virg.

Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis. Ovid.

Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.

Quid est diphthongus? Duarum vocalium vim suam retinentium in eâdem syllabâ complexio. Unde dicitur? A dis, i. bis, & phthongus, sonus, quasi duarum vocalium sonus.

Quot sunt diphthongi? Sex, æ, œ, au, eu, ei, yi, ut Sæpè, fœnum, aula, Euterpe, treis, Harpyia.

Regula quarta de vocali ante vocalem.

Vocalis brevis ante aliam manet usque Latinis.

Vocalis ante vocalem in Latinis dictionibus corripitur: ut Marius, Maria, Lucius, Lucia.

Sex Exceptiones.

Ni capit *r*, *fio* produc: & nomina quintæ
E servant longum, si præsit *i*; ceu *speciei*.
Anceps *ius* erit patrio. Dic semper *alîus*.
Alterius brevio tantum. Commune sit *ohe*.
Gaius & *Gai* produc: conformia junge.

Dianam

Dianam varia. Longa *aër*, *dius*, & *eheu*.
Et patrius primæ, cum sese solvit in *ai*.

Exceptiones sunt sex. *Prima*, Fio producitur ubi abest *r*. ut fiebam, fiam: ubi verò adest *r* corripitur, ut fieri, fierem. *Secunda*, nomina quin à declinationis producunt, *e* ante *i* in genitivis dativisqu: si præcidat *i*: sicut speciei: secus corripiunt: ut fidei, rei. *Tertia*, pronomina secundæ declinationis, & nomina habentia secundam declinationem pronominum variant *i* ante *us*: ut unius, illius, quæ in prosâ tantum producuntur. Alîus in genitivo tantum producitur: Alterius solum corripitur. *Quarta*, ohe interjectio exclamantis & satiati variatur. *Quinta*, Pompei, Cai Vultei, similésque vocativi producuntur, & ubicunque *i* consonans in vocalem vertitur, ut fit in Caius trisyllabo. *Sexta*, Diana primam habet communem. Aër, dius, & eheu, & genitivus primæ, cum solvitur in ai longam.

De vocali ante vocalem in Græcis.

Hic Græci variant, nec certa lege tenentur.

Græcorum quædam producunt vocalem ante vocalem: ut Aër, latria. Quædam corripiunt: ut, sophia, de quibus non potest dari certa regula.

Regula quinta de derivativis.

Derivata patris servabit dictio normam,
Consona si patris maneat: docet istud *aratrum*.
Multa tamen tolli vatum monumenta docebunt.

Syllaba tanta est in derivato, quanta fuit in eâ primitivi parte, unde immeditatè derivabatur, si consonans primitivi maneat in derivato: ut Legi præteritum priorem producit: ergo etiam legeram, legerim, legissem, legero, legisse, quia à legi formantur. Lego autem priorem corripit, ergo etiam legebam; legam, legerem, &c. Item supinum *aratum* producitur: ideò etiam quod ab illo fit *aratrum* non positu tantum, sed naturâ ipsâ. Cæterum multa contra primitivorum regulas aut producuntur aut corripiuntur, quæ usu & lectione auctorum observabis.

Regula sexta de compositione.

Simplicis observat mensuram compositivum,

Quamvis diphthongus, vel vocalis varietur.
Hanc legem ſpernunt *dicus* à *dico*, *innubus* atque
Pronubus, *ambitus*, *nihilum* cum *ſemiſopitus*,
Pejerat à *juro*, cum *dejerat*, *agnitus* & *cog.*
Connubium varies: ab *itum comitia* dicas.

Compoſitum ſequitur ſimplicis regulam, & contra; etiam diphthongo aut vocali mutata: ubiq, tamen ſunt regulæ obſervandæ poſitionum & vocalium ante vocales; ut ludo, colludo: lædo, illido, amicus, inimicus: tabeo, contabeo: taceo, reticeo: facio, reficio. Sic per hanc regulam præpoſitiones in compoſitione quantitatem priorem ſervant. Ut abeo, adamo, ſubeo, evoco, deduco, amoveo, &c.

Hanc legem, &c. Ab hac regula demuntur à dico nomina in dicus: ut Cauſidicus, maledicus, &c. A nubo, pronuba, inuuba. Connubium variatur. Ambitus, ta, tum, participium ab ambio, ambis, producitur. Ambitus, nomen ſemper corripitur. Nihilum à ni, i. non, & hilum res nullius precij, utpote fabæ nigrum quem producitur: nihilum autem corripitur. Perſ. Sat. 3. --- *gigni.*

De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Sopio primam producit, & ſemiſopitus eandem corripit: Cætera ſatis parent: præter comitium, quod à ſimul ituando dictum volunt, & producit primam etiam, nempe com: licet eadem in coëo brevietur: nam coëo etat comeo, i. ſimul eo: ſed fecit euphonia coëo. Præterea comitium antepenultimam producit, hoc eſt illud *i* ante *t*, cum idem ſit breve in coitum, & in ſimplici itum.

SE & DI.

Se produc & *di*: præter *dirimo* atque *diſertus.*

Se & *di* præpoſitiones Latinæ inſeparabiles producuntur: ut Segrego, diduco, &c. corripiuntur tamen Dirimo, diſertus.

RE.

Eſt *re* breve: ac *refert* à *res* producere debes.
Rejicit & *reicit*: Nam quæ *jacio* tibi format,
I prius interdum tollunt, ut corripiantur.
Addit vel demit metri gravitate Poëta.

Re

Re præpositio inseparabilis corripitur; ut Redeo, reditus pro annuo proventu, renuo. *Atrefert*, &c. Refert à res compositum producitur: alioqui corripitur. Rejicio à re & jacio producitur positu; quia in eo verbo j consonans est: ubi autem corripitur, j consonans abjicitur, quod etiam contingit in alijs compositis à jacio: ut adjicio, vel adicio: abjicio abicio: subjicio vel subicio, &c. Ea abjectio in prosa barbarismum facit: in carmine in his compositis à jacio omnibus licet. Poëtæ profecto plerumque metri gratiâ aliquid addunt aut demunt, id in prosa esset barbarismus, præterquam forte in paucis jam olim in prosa admissis.

PRO.

Est *pro* breve in Græcis: *pro* longum rite Latinis.

Pro, Græca præpositio pro *ante*, semper corripitur: ut prolepsis, prologus, Propheta, &c. *Pro*, Latina præpositio producitur: ut prodo, proficio, &c.

PRO *correptum.*

Corripias *pronepos*, *profugat*, *profugit*, *proficiscor*,
Et *procio* peto significans: cui junge *procello*,
Atque *profana*, *professa*, *profundo*, *profesta*, *profari*.
Sunt contra patrem correpta *profecto*, *protervus*.
Propino vario, *procuro*, junge *profundo*.
Sic bene docte locas *propello*, *propago*, Lucreti.

Dictiones textui insertæ corripiunt *pro*, inter quas propino, procuro, profundo, propello propago, propagas verbum variant: Propello quidē & propago apud Lucretiū potissimum.

I & O *in compositis.*

Pars si componens fini prior *i* vel *o* donat,
Sit breve: *cunctipotens* & *Timotheus* manifestant.
Quod si non semper manet *i*, producito semper.

Habet hæc regula partes duas, quarum prior est, Dictiones compositæ, sive Latinæ sive Græcæ, terminantes in *i* primam partem compositionis, breviant *i*: ut Bifidus, trifidus, sesquipes, semivir, vitisator, &c. Posterior, Dictiones Græcæ terminantes in *o* primam partem compositionis, breviant illud *o*: ut Dorothea, Samothracia, Timotheus. *Quod*

si non, &c. Hoc si ex declinatione tantùm proveniret, produceretur: ut Tantidem, tanticunque. Sic si partes compositionis dividantur, & legantur seorsum: ut magni pendo. Vide plura octavâ Buchananæ Prosodiæ regulâ.

Exceptio.

A *quotus* atque *dies* rectè variato: at *ibidem*
Et *tibicen* erit longum. cui jungis *ubique*.
Protrahit Ausonius *matricidam* gravitate.
Lagopus, *geolophus*, atque *Theophila* produc,
Cum *Leucopetra*: *Geometra* jungitur aptè.
Quod *medius* facit atque *dies*, producito semper.

A quotus & dies fit *quotidie*. Et hinc *quotidianus*, & variari potest utrumque. At *ibidem*, *tibicen* ubique producunt *i*, scilicet secundo loco positum Ausonius metri gratiâ producit *matricida* in Monostichis Cæsarum.

Matricida Nero proprij vim pertulit ensis.

Alij *Matriquecida*, & sic corripiunt.

Lagopus avis leporino villo pedes habens. *Geolophus*, i. terræ tumulus: *Theophilus*, *Theophila* propria: *Leucopetra*, loci nomen, & interpretatur alba petra: *Geometra*, notæ significationis producuntur. *Meridies*, quasi medius dies, producitur semper: cui junge *pridie* & *postridie*.

Regula septima de præteritis disyllabis.

Præteritiva tenent primam disyllaba longam,
Tolle, *bibit*, *scidit* & *fidit*, ac *tulit*, ortaque *do*, *sto*.

Præterita disyllaba producunt priorē: ut Veni, feci, vidi, &c. Tolluntur sex, bibi, scidi, fidi, tuli, dedi, steti, quæ breviant.

Regula octava de geminatis præteritis.

Corripiunt binas geminantia: ceu *cecidérunt*.
Tolle *cecidérunt* à *cædo*: à *pedo pepedi*.

Præterita geminantia principium, primam & secundam syllabam corripiunt, nisi positio impediat: ut Tetigi, peperi, pepuli, tutudi. In cecîdi vero à cædo, & pepedi, prima tantum corripitur: ideò excipiuntur.

Regula nona de Supino disyllabo.

Cuncta supina tenent primam disyllaba longam:

Præter

Præter nata *ſero, cieo, lino, ſto, ſino, ſiſto,*
Do, ruo, cum *queo, eo, reor.* At *ſaturus* atum dat.

Supina diſſyllaba producunt priorem ſyllabam ut viſum; luſum, &c. *Præter nata ſero*, &c. Eximuntur *ſatum* à ſero, *citum* à cieo, *litum* à lino, *ſtatum* à ſto & ſiſto, *ſitum* à ſino, *datum* à do, *rutum* à ruo, *quitum* à queo, *itum* ab eo, *ratum* à reor. *Saturus* contra primitivi naturam primam producit.

Regula decima.

Præ cum vocalem de *vi*, reliquis dabo longam.

Omne Supinum non dictum, mutans *vi* ſyllabam in *tum*, producit vocalem ante *tum*: ut expeditum, petitum, &c.

Regula undecima, de verborum crementis.

A in crementis verborum.

A creſcens produc: niſi cremento *dare* primo.

Crementum verbi eſt ubi exceditur ſecunda perſona ſingularis numeri, præſentis temporis, indicativi modi, activæ vocis: quæ ſi defuerit, qualis foret oſtenditur: ut *Amamus* creſcit, quia excedit hanc perſonam *amas*, *Oſcularis* creſcit, quia, ſi ſecunda perſona activæ vocis foret, ipſa eſſet *oſculas* Vocalis in primo cremento eſt, quæ erat ſecundæ perſonæ ultima: reliquæ in ſecundo cremento eſſe dicuntur: *a* igitur in omni cremento producitur, ut amamus, legebamus. Excipitur in primo cremento *do*, *das*, *dare*, cum ſuis primæ conjugationis compoſitis: *Venundabam*, *peſſundabam*, &c.

E in crementis.

Ni ſubit *r*, produc *e* ſemper: cum ſubit *r*, do
Cum ſocio ternæ breve præſens: protrahe *reris*.
Semper *e* corripitur præ *ram, rim, ro, beris* adde;
In reliquis produc: quamvis *ſteterunt* Maro dicat.

E in utroque cremento producit: ut Amemus, amaremus, docemus; legebam niſi poſtponatur *r*: nam tunc corripitur omne præſens tertiæ conjugationis: ut Legor, legeris, legere, legeremus, legerem. (*Cum ſocio.*) Id eſt præterito imperfecto ſubjunctivi modi. Re ante te vel ris producitur: ut Legereris legerere: E ante ram rim, ro, ſemper corripitur: ut Legeram, legerim, legero. Sic amaveram. Beris vel bere cor-

corripitur: ut amaberis, amabere. Cætera producuntur: ut Steterunt, legerunt, qualia Virgilius, & plures licenter corripuere, nos non imitabimur: ut *Obſtupui, ſteterutque coma, & vox faucibus hæſit.*

I & U *in crementis verborum.*

I produc primo cremento, dummodò quartæ
Eſt verbum: debet ſemper producier *ivi.*
Corripe præteritis *imus* undique: *venimus* edit.
In ſubjunctivo *rimus, ritiſque* licenter
Invenies, dices *nolito, velmus*, & itis,
Et *ſimus, ſitis* produc. Erit *u* breve, non a.

I in primo cremento verbi quartæ conjugationis ſemper producitur; ut audimus, auditis audire, audirem, &c. Ibam, ibo, &c. Item præteritum in *ivi* producit ubique *i* ante *vi*: ut Petivi, petiveram, *Imus* in omni præterito, corripitur: ut Venimus, audivimus. Niſi in ſubjunctivi præterito, in quo *rimus* & *ritis* licentet producuntur. Aldus ait *rimus* & *ritis* ubique corripi in præterito: in futuro, in proſâ produci, in verſu verò variari. Crementum per *i* in verbis ſum, nolo & volo, cum compoſitis producitur, ut Sitis, velitis, poſſimus, &c. O in cremento producitur, ut Amatote: U vero corripitur: ut Volumus: Cætera nota ſunt.

Regula *duodecima, de nominum crementis.*

A longum, Eque ſcies, ſimul O: ſic profer *earum*,
Muſarum, rerum, dominorum, ſicque *dierum.*
U brevis Ique manet, *verubus, gravibuſque* notabunt.

Crementum nominis, pronominis & participij, eſt exceſſus obliqui in ſyllabâ vel ſyllabis, ſupra nominativum ejuſdem numeri, ut Puer pueri, qui quorum. In cremento autem plurali, *a, e, o*, producuntur; ut Harum, rerum, horum, *i* & *u* corripiuntur; ut artibus, artubus. Prima declinatio in ſingulari non creſcit niſi pro *a* dicatur *ai*, de quo ſatis dictum eſt. Nec quarta niſi in dativo ubi eſt vocalis ante vocalem, ut dictum eſt. Ergo à ſecundâ auſpicabimur.

Crementum ſecundæ declinationis.

Quæ ſequitur primam, tantum producit *Iberi.*

In

In secundâ declinatione unica producit penultimam genitivi, Iber Iberi, & ejus compositum, Celtiber, Celtiberi.

Tertia Crementium A & O.

Dic *atis* : *onis* ob o fer : *inis* breve : protrahis *enis*, *On* si vertis in o, mensus sit, qui fuit ante.

A corripitur, ut poëma poëmatis, ab o producuntur onis & enis: ut Cato Catonis. Anio, Anienis. Inis ab o corripitur. ut Virginis, &c. Si Græca in on amittant n, servant in obliquis quantitatem quam habuerunt: ut Agamemnon, Agamemnonis: Briton Britonis. Sic Brito, Britonis. Saxo Saxonis, Macedo Macedonis, &c. quæ corripiuntur.

C.

Dices *halecis*: nec spernes *Melchisedecis*.

Halec halecis: Melchisedec Melchisedecis, producunt penultimam genitivi.

D.

Davidis à *David* dices, *Bogudis Bogud* optat.

Duo in d corripiunt, Davidis, Bogudis. *Buchan.* Psal. 132.

Davidis esto memor.----

L.

Masculeum dat *alis* : neutrum formatur in *alis*, *Elis* cum *Solis* produc: reliquis breviatis.

Al alis masculini generis corripit penultimam: ut Sal salis, Hannibal balis. Neutra producuntur: ut Capital, talis, &c. Sic Michaelis, Danielis, &c. Et Sol, solis, Reliqua corripiuntur.

N.

On nimis incertum est. *En inis* dat: cætera produc.

En inis corripitur: ut Nominis, Cætera producuntur: ut Pæanis, Sirenis, Delphinis, &c. De on nequeo dare certam regulam, nam multa producuntur: ut Babylon Babylônis, Cytheron Cytheronis, &c. Multa corripiuntur: ut Canon canonis, Dæmon Dæmonis; Memnon Memnonis.

R.

Aris produco neutris. *Nectar*, *jubar*, aufer.
Protrahe *Nar naris*, *furis*, *veris*, *Recimeris*,
Byzer, *Ser*, & *Iber* : In ter Græcum, *æthere* dempto.

Oris

Oris, ab or produc; cum neutris corripe Græca:
Arboris & *memoris* brevies, indictaque cuncta.

Aris ab ar neutri generis producitur: ut Laqueatis, &c. Tolluntur nectaris, jubaris, & quædam propria. Hamilcar, Hamilcaris, &c. *Protrahe Nar*, &c. Producuntur quæ sequuntur in litera: Nar naris fluvij nomen. Fur furis, Ver veris, Ricimer Ricimiceris viri proprium: Byzer Byzeris populus: Ser Seris, populus à Serâ urbe, apud quam sunt lanigeræ arbores, unde serica vestimenta conficiuntur, Iber Iberis, Hispanus.

Inter Græcum, &c. Græca in ter producunt penultimam genitivi: ut Crater crateris; Character characteris: Excipitur Æther ætheris. *Oris ab or produc, &c.* Produc oris ab or: ut amoris, &c. Sed corripe neutra, ut Marmoris &c. Et Græca: ut, Castoris, Hectoris, cum memoris, arboris, & cum omnibus non dictis: ut mulieris, gutturis, martyris &c.

A S.

Atis ab as produc. Ab *anas anatis* breviato,
Cætera corripies, nisi *vasis*: dico *vadis vas*.

As atis porrigit: ut Pietas pietatis, &c. Demuntur Anas, anatis, avis, &c. Et mas maris, Vas vadis: & Græca mittentia genitivum in adis, ut Palladis, &c.

E S.

Es breviat, nisi cum *locuples*, *merceſque*, *quieſque*,
Sic *hæres*: Græcum jungo quod præbuit *etis*.

Es breviat penultimam genitivi: Miles militis; Interpres interpretis, Ceres Cereris, &c. Producuntur vero Locuples locupletis, Merces mercedis: Quies quietis, Hæres hæredis: & Græca quæ habent in genitivo etis: ut Magnes magnetis, Tapes tapetis, Lebes lebetis, &c.

I S.

Is breviat. Tollo *glis gliris*, quodque dat itis:
Et *Psophis*, *Crenis*, *Nesis*: Græcum quod in n fit.

In is corripiunt penultimam genitivi: ut Lapidis, Isidis, cineris, &c. Sed porrigunt Glis gliris: Et quæ habent itis: ut Dis ditis: Sic Samnis, Quitis, Lis & Psophis, idis urbs: Crenis Crenidis, Nymphæ nomen. Nesis, Nesidis, Insu-

la

Ia adjacens Campaniæ. Adde Græca in is, quæ per n etiam finiuntur, ut Salamis, Salaminis, Trachys Trachynis.

OS.

Protrahit *os*. Tria corripiunt, *bos, compos, & impos*.

Os in obliquis penultimam producit: ut Rhinoceros, rotis, Custos custodis, flos floris. Tros Trois, Heros Herois. Tria, Bos bovis, Compos compotis, impos, impotis corripiunt.

Us breviat. Tollas præ *dis, ris, tis*, quod habebit *U*: præter *pecudis liguriſque, intercutis* addo.
At *melius melioris* habet: conformia junge.

Us penultimam genitivi corripit: ut Corporis, Velleris, Tripodis Oedipodis, &c. producunt quæ habent utis, udis, aut uris: ut virtutis, ſubſcudis, juris, ſic incudis. Corripiuntur pecudis, Liguris à Ligus, & intercus intercutis. Comparativa producuntur: ut Melioris, &c.

BS. PS. MS.

Conſona cum præit *s*, patrij penultima curta eſt.
Hinc *Cyclos, ſops, gryps, conops, cercops* removeto:
Plebſque, Europs, hydrops. Fuge *Cyclopis*, atq; *Dolopis*.

Nomen in *s* præcedente conſonante: ut *bs, ms, ps*, penultimam genitivi corripit; Lælaps Lælapis, nomen canis. Producuntur Seps ſepis ſerpens Gryps gryphis animal; Conops conopis, i. culex, Europs Europis proprium regis. Hydrops hydropis aqua intercus. Cercops cercopis, populus à Jove in ſimias converſus. Ovid.

Quippe deûm genitor fraudem & perjuria quondam
Cercopum exoſus.---

Adde plebs plebis, id eſt vulgus.

(*Fuge Cyclopis, &c.*) Cyclops tantum producitur contra Sulpitium, Dolopis vero corripitur, Cyclops, gigas unoculus

X.

Præ *gis* vocalem brevio. Producito *lex, Rex*,
Ex icis abbreviat, *vibex* niſi. Cætera produc.
Præter *abax, ſimilax Atrax*, cum *dropace, Candax*,
Fax, & Athax, Pharnaxq, panaxq; ſtoraxq; Colaxque,

Pix

Pix, & *onyx*, *illix*, *hiſtrix*, cum *maſtiche*, *varix*,
Coxendix, & *Eryx*, *fornixque*, *calixque*, *Cilixque*.
Dic *filicem*, *ſalicem*, *laricem*, *natricemque*, *nivemque*,
Cappadocem, brevibus cum *præcoce* ſubjiciamus
Dux, *trux*, *nux*, *crux*, atq; *volux*. Variabo *Syphacem*,
Et *Bebrycem*; rarò nomen producimus iſtud.

Vocalis ante g corripitur: ut Remex remigis Grex gregis, Phryx phrygis, &c. Sed producuntur Lex legis, Rex regis.

Corripe item icis ab ex, ut Vertex verticis, &c. Unum producitur, Vibex vibicis. Cætera producuntur in obliquis: ut Myrmex myrmecis: Halec halecis, &c. Quæ ſequuntur in textu breviantur: ut Abax abacis, menſa numeratorum. Similax ſimilacis, ſpecies hederæ. Atrax Atracis, fluvius. Dropax dropacis, unguenti genus. Candax inſula, vulgò Candia: Fax facis. Athax Athacis, fluvius. Pharnax viri proprium, panax panacis herba, quæ dicitur etiam panaces & panacea. Storax ſtoracis, genus aromatis: Colax Colacis, paraſiti nomen; Pix picis, Onyx, Onychis, unguis & lapillus prætioſus. Illix illicis, id eſt fraudulentus. Hiſtrix hiſtricis, erinaceus. Maſtix, maſtichis, melius maſtiches, reſina lentiſci arboris corripitur. Maſtix maſtigis vel maſtigos, flagellum producitur. Hinc maſtigia, id eſt verbero verberonis. Varix varicis, plus æquo intumeſcens vena, Coxendix, Coxendicis, coxa: Eryx Erycis, urbis montiſque nomen: Fornix fornicis, arcus lapideus: Calix notum: Cilix Cilicis, populus. Filix herba. Salix, Larix laricis arbor. Natrix natricis, ſerpens. Nix nivis. Cappadox, Cappadocis, quiſpiam in Cappadocia natus. Præcox præcocis, præmaturus. Dux, trux, cis, crudelis. Nux, crux, volux. Syphax, proprium viri, variatur, & Bebryx, populus rarò producitur.

De primis, regulæ generales.

A ſolum trahit l, quodque, & diſſyllaba *mannas*,
E, diſſyllaba d, ſimul l, tardant: ſed & ns:
T, que, vel v, conſo. Cætera corripiunt.
I tardant d, vel. l, n, & s, ſeu conſonitans v,
M, vel r, in diſſyl. Cætera corripiunt.

O *bogomoſo*, diſſyllaba d modo tradant,
U, rapiunt, b, l, p, polyſyllaba t, neque ſolum u.

A in primâ corripitur ante omnes conſonantes ſimplices: præterquam ante *l*, & diſyllaba *mamnas*, id eſt ante *m n s*. E corripitur ante omnes conſonantes ſimplices in primis, præter diſyllaba *d* & *l*, & præterquam ante *n s r* & *v* conſonantem, & præter diſyllaba in *m* & *r*. O corripitur niſi ante *b g m s*, & diſyllaba ante *d*. U vero producitur niſi ante *b l p*: & polyſyllaba in *r*, & ante *v*, cum aliâ literâ: ut pluvia, nam ſi ſola ſit producitur, ut uva.

De medijs.

A tardant g, vel v, medijs: ſed cætera curtant,
E, c, d, tardant, l, m, n, t, vel u, mihi ſola.
I, niſi ſit ſuper v, vel q, poſcit breviari.
O, medio tardant s, t. ſed cætera curtant.
U, curtant b, vel f, l, p, ſeu conſonitans v.
Dum ſubſunt medijs: cætera longa dabis.
Excipienda ſuæ ponuntur in ordine normæ:
Nunc ſatis eſt primam ſignificaſſe viam.

A in media producitur ante *g* & *v* conſonantem, ante cæteras corripitur. E producitur in medijs ante *c d l m n t* & *v* conſonantem, ante cæteras corripitur. I corripitur in medijs ante omnes, præterquam ante *q* & *v*. O producitur in medijs ante *s* & *t*, ante cæteras corripitur. U corripitur ante *b f l p*, & *v* conſonantem, ante cæteras producitur. Exceptiones quærendæ ſunt in codice *Deſpauteriano* majore, ubi omnia fuſiſſimè explicantur. Hic enim ſatis eſt velut quoquo modo vitam indicaſſe.

De ultimis, A terminale.

A declinatum brevia. Sed protrahe ſextum,
Et quintum, cujus rectus producitur, & *Mna*.
Producunt noſtri qnædam muliebria Græca
In recto, ut *Tegea*: ſine teſte nihil volo tale.
Non declinatum produc. *Ita* cum *quia* demptis,
Et *puta* non verbo. *Ginta* melius loco longum.
Poſtea; & *ultra* leges cum *contra*. curta licenter.

Eia rapit Flaccus : Sidonius *Halléque luja.*

Ultima ſyllaba noſcitur poſitu ; ut poſt, aſt, eſt, amant. Diphthongo, ut Heu, muſæ, Regulâ; ut A declinatum corripitur, Muſa, Anna, nominativi & vocativi caſus. Loquimur de declinatis per caſus, non per tempora. *Sed protrahe*, &c. Ab hac regula tolluntur ablativi, quia producuntur: ut Muſâ, meâ, lectâ, & vocativi à nominativis productis; veluti. Ænea, Anchiſa, Atla. *Mnæ* monoſyllabum cujuſcunque caſûs producitur; quia fit ex mnea per ſynæreſin.

Producunt. A in nominativo Græco fœminini generis, à noſtris corripitur : licet illi producant, veluti Scylla, Medea, Lerna, &c. Quoſdam tamen nominativos noſtri produxerunt ad imitationem Græcorum, ſic tamen ut aliqua cæſurarum locum habeat, ideò nihil tale producemus ſine authoritate, idque faciemus rariſſimè : quia poterunt in *e* terminari, ut Tegea vel Tegée, &c.

Non declinatum, &c. A in omnibus per caſum non declinatis producitur : ut clama, fruſtra, præterea, ſupra, &c. Corripiuntur autem *ita, quia, & puta* adverbium. Numeralia in *ginta* rectius producuntur; ut Triginta. Produc quoque præterea, interea, poſtea, contra, ultra, quæ interim corripiuntur, Eia Valerius Flaccus corripit. Halleluja Sidonius. Laudate Dominum.

E in ultimis.

E brevia. Primæ produc & nomina quintæ
Cum natis : addes pluralia cuncta Secundæ
Junge *dore* & ſocias. Monoſyllaba longa repono,
Inclinativas præter. *Malè* cum *benè* demptis,
Omnia produces adverbia ſiqua ſecunda
Præſtiterit, ſummique gradûs adverbia quævis.
Sunt *ferme* atque *fere* producta : quibus dabis *ohe.*

E corripitur, ut Docere, Ganymede, Hercule, Achille, & & ſimiles Vocativi, & Ablativi tertiæ.

Primæ produc, &c. E in primâ & quintâ declinatione in quocunque caſu reperitur, producitur; ut paraſceue, Anchiſe, vocativi & ablativi. ſpecie, die, re, hinc, hodie pridie, poſtridie, quotidie quare: ſic Fame, quia aliquando quintæ fuit. Produc quo-

quoque pluralia in e, ut Cete, Tempe.

Secundæ &c. Producitur omnis ſecunda perſona vocis activæ ſingularis numeri, præſentis temporis ſecundæ conjugationis, imperativi modi: ut Doce. Mone. Monoſyllaba producuntur: ut Me, te, ſe, de. Hinc demuntur conjunctiones Enclicitæ que, ve, ne, & in compoſitis: Quiſque, nonne, &c. Producuntur adverbia in *e* ab adjectivis ſecundæ declinationis, ſive comparantur, ſive non; ut piè, egregiè, æquè, doctè, &c. Corripiuntur tamen bene & male, atque mage pro magis. Adverbia ſuperlativi gradus undecunque fiunt producuntur; ut Maxime, minime, &c. Produc etiam fere, ferme, & Ohe.

I finalis.

I longum pono. Vocitantem contraho ternæ:
Sæpeque Græcorum ternum. *Minoidi* teſtis.
Sed *niſi*, ſive *quaſi*, *mihi*, *ibi*, *ſibi*, *ubi*, variabis
Et *tibi*: junge *cui*. Tantum breve *moly* locatur.

I producitur, Corripitur verò cunctus tertiæ vocativus; ut Alexi, Amaryllı, Phyllı, &c. Dativus quoque tertiæ Græcus corripi invenitur; ut Palladi, Minoici, &c. Papin. 1 Achil.

Palladi litterea celebrabat Scyros honorum
Forte diem. --

Sed *niſi*, &c. Variabis in litera poſita inter quæ *niſi*, & *quaſi* rectius corripiuntur. *Cui* ſæpius eſt monoſyllabum. *Moly* tantum breve, herbæ nomen.

O in fine.

O commune datur. Produc monoſyllaba, jungens
Cum terno ſextum, atque adverbia nomine nata.
At variabo *citò*, cum *ſedulò*, *mutuò*, *crebrò*,
Seròque: Sit curtum *modò* ſolum: ſed breviari
Ergô pro cauſa non vult. Produco quaternô
In caſu nomen, fit cujus in us genitivus.
O patrij produc variaque gerundia verba.

O variatur, ut Cato, Leo, Apollo, &c. Producuntur tantum monoſyllaba; ut ſto, do, flo, &c. Producuntur tantum dativi & ablativi, ut Domino, meo, amato, &c Producuntur tantum & adverbia ex nominibus ducta, ut tanto, quanto, falſo primo, &c. Variantur autẽ cito, ſedulo: mutuo, crebro

crebrò, serò, modò, adverbium pro solùm corripitur. Ergô pro causâ producitur. Produc Græcum in *o* faciens genitivũ in *us*; in nominativo, dativo, accusativo, & ablativo; ut Dido, Clotho, Argo, Clio; Sappho, *&c.* Genitivus in *o* producitur tantum, ut Apollos Apollo, Androgeos Androgeo, *&c.* Variaque gerundia verba: ut Virg.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Tibul.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.

V. & B.

U semper produc; *B* contrahe: Barbara deme.

U produc, ut JESU. B corripitur: ut ab, ob: demuntur Barbara in B, quia producuntur: ut Job, Aminadab, Jacob, &c

C *in ultimis.*

C produc: præter *nec*, *donec*. Sed variabis
Hic bene pronomen: *fac* verbum jungimus isti.

C producitur; ut Sic, corripiuntur nec, donec. Hic adverbium producitur: pronomen variatur, ut Fac verbum.

D. & T.

D breve ponatur, ceu *t*; nisi syncopa fiat.

D corripitur, ut Apud, Bogud, sic finita in *t*, ut caput, amat, docet: nisi aliquando per syncopen producantur: ut Fumât pro fumavit: obît pro obivit.

L.

L breve sit: cum *sol*, *sal*, *nil*, tolluntur Hebræa.

L corripitur, ut Hannibal, Hiempsal, mel, fel. Producuntur Sol, nil, & sal. Hebræa quoque producuntur, ut Michael, Raphael, &c.

N.

N produc Demas *an*, *in*, & prolem, *tamen*, atque
Forsitan, & *forfan*, *viden'*, huic conformia junges.
Quod dat *inis* curtum est, vel ut *on*, quod tertia nescit,
Corripitur quartus, quando brevis ultima recti est.

N producitur, ut Hymen, Titan, Delphin. Et omnia nomina tertiæ in *on*, ut Agamemnon. Tolluntur à regula *an*, *in*, cum prole, *dein*, *exin*, *subin*, *proin*, *tamen*, *attamen*, *forsitan*, *viden'*, & quæcunque per Apocopen *n* habent: ut men

pro

pro mene, ten' tene, egon' egone; &c. *Quod dat.* Corripe *n* habens *inis* in genitivo; ut pecten, crimen, &c. Corripitur quoque in *on* nomen secundæ declinationis quod Latini in *um* vertere solent: ut Ilion, Pelion, &c. Corripitur similiter Accusativus, cujus nominativi ultima corripitur; ut Medean, Maian. Accusativi a nominativis productis producuntur tantum; ut Æneas, Anchisen.

R.

R brevies. Produc cujus dat patrius eris:
Addito *Iber, aër, æther.* Sit *Celtiber* anceps.
Vir, cor, non longum melius. Producito tantum.
Cur, far, lar, nar, par, fur. Vix prolem breviabo.

R corripitur, ut Mulier, pater, mater, &c. Producuntur nomina in *er*, habentia *eris*, penultimâ longâ in genitivo; ut Crater, character, clyster, ver, &c. Iber, aër, æther adduntur. Celtiber variatur, ut vir. Ovid.

De grege nunc tibi vir, & de grege, taurus habendus.

Et cor quod tamen melius corripitur: producuntur tantum cur, far, lar, &c. Et par cum compositis impar, &c. quæ non omnio rectè breviantur quandoque.

AS.

As produc. Sed *adis* quæ dant patrio, breviantur:
Et ternæ quartus: vates novus Elias inquit.

As producitur, ut Foras. Corripiuntur tamen omnia nomina tertiæ, quorum genitivus in *adis* vel *ados* desinit, ut Arcas. Ovid. *Quatuor autumnos Pleias orta facit.*

Corripe quoque accusativum pluralem tertiæ in *as*; ut Rhetoras, &c. Baptista Mantuanus corripuit Elias.

ES.

Ponitur *es* longum. Pluralia corripe Græca
Quæ crescunt, velut *es* de *sum*: *penes*; *inquies* adde
Cum neutris: & si patrio est penultima curta
Ternæ, Tolle *Ceres, aries, paries, abies, pes.*

Es producitur, ut Anchises, Dares. Corripiuntur autem omnia Græca pluralis numeri tertiæ declinationis crescentia in singulari, veluti Dæmones, Vascones, Britones, pæanes, delphines, crateres, castores, gigantes, pyxides, & quam

plurima alia. Es à sum corripitur, ab edo producitur, & penes præpositio, & inquies nomen. Corripiuntur nomina neutri generis; ut Hippomanes, Cacoëthes. Juven.

--- tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & agro in corde senescit.

Corripiuntur nomina tertiæ in *es* penultimam genitivi corripientia: ut pote quæ itis, etis, aut idis penultima brevi obtinent: ut Miles, teres, deses, &c. Producuntur solùm Ceres, aries, &c. Pes apud Poëtas anceps est. Ausón, in Gryph. de numero ternario scribens.

Qui bipes, & quadrupes, mox & tripes, omnia solus.

IS.

Is brevio. Verùm plurales contraho casus:
Isque quod in patrio mutatur in *itis* & *inis*,
Aut *entis*. *Tethys* vario, *glis*, *vis* quoque nomen
Cum verbo longum est: veluti persona secunda
Protrahit *is*, quoties *itis* plurale reponit.
In subjunctivi *ris* est commune futuro.

Is corripitur, ut inquis, quis &c. Producito dativos & ablativos plurales in *is*; ut Queis plurale. Dominis, &c. Item treis, omneis, &c. Produc etiam nomina in *is*, quæ penultimâ longâ faciunt genitivum crescentem in itis vel inis; ut Lis, Dis, Samnis, Salamis: Aut in entis, ut Simois, Pyrois, &c. Tethys variatur. Produc ad hæc glis, vis, sive nomen, sive verbum cum suis; ut Sis pro sivis, quamvis, utervis, &c. Producuntur etiam secundæ personæ singulares, quando plurales habent itis penultima longa ut velis, nescis. Futurum in subjunctivo anceps est. Horat.

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum --- Ovid.
Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.

OS.

Os produc. Patrius brevis est, & *compos* & *impos*:
Osque ossis præbens. Rectos breviato secundæ,
Os recti produc quoties tibi patrius o dat.

Os producitur; ut flos, nepos, &c. Corripitur quicunque genitivus in *os*: ut Pallados, Tydeos, &c. Et *compos* & *impos*

&

& *os ossis* breviantur. Os oris producitur: Omne nomen in *os* secundæ declinationis: ut Samos, synodos, &c corripitur.

Producuntur & nomina quæ per quartam declinationem Atticam faciunt genitivum in *o*: ut Athos, Androgeos, *&c.*

U S.

Us correpta datur. Monosyllaba cum genitivis
Ternæ vel quartæ produc: numerique secundi
In quarta primam, quartum quintumque: & in *uris.*
Dumve *utis* patrius, vel in *udis* & *untis*, *odisve* est,
Aut quintus fit in *u*; longus tum rectus habetur.
Ergo produces venerabile nomen JESUS.

Us corripitur: ut Tempus, pecus, &c. Producuntur vero monosyllaba: ut pus, thus, rus, *&c.* Et genitivi tertiæ: ut Cliûs, Didûs, *&c.* Et genitivi quartæ, & in plurali ejusdem declinationis nominativi, accusativi, & vocativi: ut visûs, manûs: Et in uris, *&c.* Producitur us in nominativo singulari ubi genitivus terminatur in uris & utis, vel udis: ut Tellus, virtus, palus. Horat. Palus in arte Poëtica corripit.

Regis opus: sterilisque diu palus aptaque remis.

Simile est, ubi genitivus definit in untis: ut Cerasûs cerasuntis, opûs opuntis, *&c.*

Græca quoque à pus producuntur: ut Sciopûs, Melampûs *&c.* Produc quoque ubi vocativus in u definit: Panthûs, quia Vocativus est Panthu. Sic, quia per ou diphthongon scribitur, doctissimi produci testantur adorandum Domini & Dei nostri nomen J E S U S.

De decem vitijs in carmine vitandis.

Barbara nulla inerit vox, aut incongrua metro.
Nulla redundabit, nulla integritate carebit.
Nil transponetur, nil confundet male sensum,
Nec rapies longam, nec produces breviandam.
Nec post vocalem, nec post *m* versu in eodem,
Partibus à varijs vocalis rite sequetur,
Syllaba ni pereat præcedens, ut modò dixi.
Nec succussantes, nec pones molle crepantes.
Nec paucis numeris tibi multa licere putabis.

Nec tibi propones niſi ſummos quoſque imitandos.

Monemur vulgata decem vitia in carminibus contexendis vitare. Primò, ne barbarum vel incongruum quicquam admiſceamus. Secundò, ne quid redundans aut deficiens ſit: ut qui, quoque, aut alias particulas propter metrum duntaxat ingerunt. Qui pedum nimis, aut non ſatis ponunt: qui ſenſum non explent aut fruſtra repetunt. Tertiò, ne quid malè tranſponatur. Quartò, ne ſenſus confundatur. Quintò, Syllabarum quantitas non violabitur. Sextò, nec poſt vocalem, nec poſt *m* ponetur in eodem verſu dictio incepta à vocali, niſi fiat Eclipſis aut Synalœpha. Septimò, non ponemus ſuccuſſantes literas, ſyllabas aut pedes: ut

O Tite tute Tati tibi tanta Tyranne tuleſti.

Octavò, ne quid ſit affectatè nimis, turgidè aut molliter ſonans. Nonò, vitabitur in parvo poëmate magna licentia. Et decimò, cavebimus ne non probati authoris carmina imitemur.

BREVIS ACCESSIO DE VARIA Carminum apud Poëtas nominatione.

1. NOnnunquam Carmina ab inventoribus ſua nomina ſortita ſunt, aut ab ijs qui plurimùm ea uſurpârint, *Sapphicum*, *Aſclepiadeum*, à Sappho puellâ, & Aſclepiade Medico inventoribus: *Archilochium*, *Hipponacticum*, quòd id genus metra frequentiùs uſurpâtint Archilochus, Hipponax.

2. Nonnunquam à pede prædominante, ut *Iambicum*, *Dactylicum*, in quibus verſibus Iambus, & Dactylus potiores & primas partes occupant.

3. Sæpe à ſcanſione, & pedum numero. *Monometrum*, quòd duos pedes habeat, quale eſt Adonicum: *Dimetrum*, quòd quatuor pedes: *Trimetrum*, quòd ſex: *Tetrametrum*, quòd octo: A monos unicus, dis bis, treis tres, tetras quatuor, & metron menſura: ſiquidem perpetuò in Iambicis, Trochaicis, & Anapæſticis, duo pedes unam ſolùmodò menſuram ſive metrum conſtituunt: cum in reliquis carminum generibus ſinguli per ſe pedes ſingulas ſuas menſura expleãt.

Nominantur etiam à verſuum numero. *Monoſtichon*, ubi

ubi unus est versus: *Distichon*, ubi duo: *Tetrastichon*, ubi quatuor: *Hexastichon*, ubi sex: *Ogdoastichon*, ubi octo: *Decastichon*, ubi decem, &c. pro versuum numero. A monos unicus, dis bis, tetras quatuor, hex sex, octo octo, deca decem, & stichos versus.

5. Sic ab argumento *Epithalamium*, carmen nuptiale: *Epicedium*, *Epitaphium*, emortuale carmen. Ab epi super & thalamos thalamus, cedos funus, & taphos sepulchrum. *Genethliacon*, natale carmen: à genethle ortus. *Bucolicum* pastorale, quod hoc ornamenti sibi peculiare habet, quod quam sæpissime, si commodè fieri possit, quarto loco Dactylum requirat. A Bucolos bubulcus. *Georgicon*, quod de Agricultura tractat. A georgos agricola. *Heroicum*, quod heroum res gestas enarrat.

6. A syllabarum numero. *Hendecasyllabum*, quod undecim syllabas habeat, ut *Phaleucium*, vulgo sic κατ' ἐξοχὴν, i. per eminentiam vocatum, & Sapphicum. Ab hendeca undecem, & syllaba. *Pentasyllabum*: quòd quinque syllabas habeat: ut Adonicum. A pente, id est quinque, & syllaba.

7. Aliquando à syllabarum defectu, vel redundantia. *Acatalecticum* quod suis absolutum numeris in nullo redundat, aut deficit, ab a, i. sine & catalego desino. *Catalecticum* quod unâ syllabâ deficit. A catalego. *Brachycatalecticum*, cujus fini deest pes integer. A brachys brevis, & catalego. *Hypercatalecticum*, in quo una redundat syllaba. Talis versus in Heroico est Hypermeter; ubi syllaba illa residua principio sequentis versus inter scandendum conjungitur. Ab hyper super, & catalego.

8. Sæpè à mistura carminum diversorum. *Monocolen* uniforme est, ut Heroicum. *Dicolon*, bimembre est, ut Eligiacum. *Tricolon* habet tria genera commisto, ut Asclepiadeum, cum Pherecratio Heroico, & Glyconica. Horat. lib. 1. Od. 5. 14. 21, &c. *Dicolon Distrophon*, quod ex duobus diversis compositum carminibus, & posteà eadem usque genera repetit. *Dicolon tetrastrophon*, cum post tres ejusdem generis versus, qua tumque alterius modi ad primum reditur, ut Sapphicum cum Adonico Dimetro. *Tricolon Tetrastrophon*, cùm pro tres diversi generis versus ad primum redi-

tur. Ut est Od. 16. lib. 1. & passim alibi apud Horat. & Buchan. A colon membrum, & strepho verto. Quin & quælibet etiam genera suas habent variationes multiplices, ut in Hexametro videre est, cujus species 47. literatores observârunt. Alius enim est Heroicus reciprocus. ut *Musa mihi causas memora, quo numine læso.* Retrogradus sic. *Læso numine quo memora causas mihi musa* Alius est recurrens, qui metro stante, neque literis loco motis, ut ab exordio ad finem, sic à fine ad exordium relegi potest. ut hoc Hexametrum.

Si benè te tua laus taxat sua laute tenebis.

Et hoc Pentametrum.

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Aliquando Reciprocus mutat sensum, ut hic Philelphi in *Pium secundum,*

Laus tua, non tua fraus: virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium,

Convertitur hunc in modum.

Eximium decus hoc fecit te scandere, rerum
Copia non virtus, fraus tua, non tua laus.

Correlativus, qui correlationes habet.

Pastor, arator eques, pavi, colui superavi,
Capras, rus, hostes fronde ligone, manu.

Cui similis hic Glascuensi Prætorio insculptus.

Hæc Domus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequitiem pacem crimina, jura probos.

Quem sic resolves, *Hæc domus odit nequitiem, amat pacem, punit crimina, conservat jura, honorat probos.* Et sic de cæteris.

FINIS.

DE ACCENTIBUS EX PROSODIA Georgij Buchanani

ACcidunt & ſyllabis toni trés: acutus, qui eas attollit, ut Dóminus. Gravis, qui deprimit, ut in ſyllabis *mì* & *nùs*. Circumflexus, qui & tol it & deprimit, ut *môs*. Sed corruptus pronunciandi uſus fere acutum cum circumflexo confundit.

Regula prima.

Monoſyllaba omnia attolluntur, & quæ longa natura ſunt; circumflectuntur, ut *Lâus, frâus*.

Excipe.

Tres particulæ quæ vocantur encliticæ, quod accentum præcedentis dictionis ad ſe retrahant, ac ſic legantur tanquam pars ejus eſſent. Hæ enim non ſecùs atque in unâ dictione adjectione ſyllabæ mutant accentum ut

Corpora corporáque, ſic *homines hominéſque*.

Virg. 3. Georg.-- *tectúmque larémque*,
Armáque, Amyclæúmque canem, Creſſámque pharetram.

Regula ſecunda.

In diſyllabis penultima habet accentum, ut in *bònus, râ-vus, pânis*.

Regula tertia.

In polyſyllabis è tribus ultimis una ſemper attollitur, nec ultima unquam. Si in polyſyllabis penultima longa ſit, ea attollitur, ut *Românus, ſenéſco*.

Si penultima brevis ſit, quæ eam præcedit attollitur, ut *Dóminus, Virgí ius, Virgí ij, corpóribus, córpori*.

Hæc eſt vera accentuum ratio: cui qui plura adjiciunt; mihi videntur timuiſſe, ne hæc pars abſque magiſtri operâ comprehendi poſſet, ideoque rem per ſe facilem objectis tenebris obſcurare voluiſſe. Eorum errorem vir doctiſſimus Julius Scaliger ſatis luculenter in libro de cauſis Grammaticæ redarguit.

DE FIGURIS.

LIBER XI.

Figuræ definitio.

ARte novata aliquâ dicendi forma figura eſt,
Sunt ejus ſpecies, *Metaplaſmus*, *Schema*, *Tropuſq;*
Quas manifeſtatis vitijs reſerabimus amplè.

Figura eſt arte aliquâ, novata forma dicendi. Figurarum notitia eſt Poëtis, Oratoribuſque neceſſaria.

Figuræ ſpecies ſunt tres: *Metaplaſmus*, *Schema*, *Tropus*.

Cæterum fuerit operæprecium vitiorum naturam ante manifeſtare, ut ea à figuris ſeparare ſciamus.

De vitijs.

Vitia orationis generalia ſunt tria. Barbarum, obſcurum, inordinarum. Barbaræ orationis ſpecies ſunt duæ, *Barbariſmus*, *Solæciſmus*: Ejuſmodi vitia utpote in primis vitanda declarabuntur.

Barbarus eſt, quiſquis ſcribendo, ſive loquendo
Verbum corrumpit: peregrinum eſt *Barbara lexis*.

Barbariſmus eſt unius dictionis corruptio, ſcribendo aut loquendo commiſſa, ut tollero cum duobus ll. Buſiris penultimâ correptâ. *Barbara lexis*, eſt dictio peregrina, ut guerra, bladum, ſtuſa, fardellus, charteria, &c. *Barbariſmus* dicitur à Barbarus, id eſt diſſonans, quia à verâ Latinitate diſſonat, & diſſidet. Barbariſmus in proſa nomen ſuum retinet, apud Poëtas Metaplaſmus & Pathos nuncupatur. Ideò licet ex Poëtis depromantur Barbariſmi exempla, ne credas ipſos locutos eſſe barbarè, ſive (ut Veteres ſæpius dicebant) ruſticè: ſed intelligas Barbariſmum fore, ſi quis ita loqueretur in proſâ. Idem cenſendum eſt de Solœciſmo, cui Schemati apud Poëtas nomen eſt.

Eſto *Solœciſmus*, vitioſa oratio quævis.

Solœciſmus, eſt impar & inconveniens compoſitura partium orationis: ut *Acuta gladius Salvete reverende Magiſter*.

Veteres

Veteres, Solœcum dixerunt potius, àquo Solœciſſo ſolœciſſas, i. incongruè loquor.

Obſcuræ ignobiliſque orationis ſpecies.

Obſcuræ ignobiliſque orationis ſpecies ſunt octo: Acyrologia, Pleonaſmus, Periſſologia, Amphibologia, Tautologia, Macrologia, Eclipſis cum Apoſiopeſi, Ænigma.

Impropriè ſumptum verbum dicatur *Acyron.*

Acyrologia, eſt impropria dictionis uſurpatio: *Spero* pro *timeo. Accede ad hunc ignem*, i. ad hanc meretricem. Acyrologia vertitur impropria locutio, ab acyros, i. improptius & logia, i. locutio.

Omne ſupervacuum *Pleonaſmus* ritè vocatur.

Pleonaſmus, eſt adjectio ſupervacua ad plenam ſignificationem, ut --- *ſic ore loquuta eſt. Vidi his oculis.* Et interpretatur ſuperabundantia, à pleonazo: i. plus quàm oportet facio aut dico.

Eſto *Periſſologus* tibi ſermo ſuperfluus omnis.

Periſſologia, eſt adjectio ſuperflua ſine ullâ vi rerum: ut *Ibant qua poterant, quà non poterant, non ibant. Vivat Rex, & non moriatur.* Transfertur Periſſologia ſuperflua locutio: à periſſos, i. ſuperfluus, & eſt penè eadem quæ pleonaſmus.

Amphibolon dubius Romanis ſermo feretur.

Amphibologia eſt vitio compoſitionis ambigue poſita ſententia, ut *Aio te, Æacida, Romanos vincere poſſe.* Et hæc ab amphibolos, i. dubius. Rectius dicitur *Amphibolia.*

Tautologos verbis varijs rem ſignat eandem.

Tautologia, eſt diverſorum verborum aut orationum eandem rem ſignificantium inculcatio; ut *Ipſe egomet venio, exultans redeo, gaudenſque revertor.* Tautologia dicitur a tautotes, i. identitas, & logia locutio.

Macrologos ſermo nimium prolixus habetur.

Macrologia eſt longa ſententia res non neceſſarias comprehendens. Virg. *Poſtera jam ſummo ſpargebat lumine terras Orta dies: cum primum alto ſe gurgite tollunt, Solis equi,*

lucemque elatis naribus efflant. Satis fuerat dixisse, *orta dies*: Macrologia, traducitur longus sermo sine necessitate: â macros, id est longus.

Eclipsis verbum: *Reticentia* verba subaudit.

Eclipsis unicum verbum, i. dictionem subaudit. *Reticentia* verò, i. aposiopesis, plures dictiones supprimit. Eclipsis, i. defectus seu defectio. *Terris jactatus & alto.*---deest, *in.* Terent. *Quem ego, si sensero*, deest *machinari fallaciam, & acerrimè puniam.*

Est *Ænigma* gravis nimium tibi sermo solutu.

Ænigma, est obscura sententia per obscuram similitudinem rerum: *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.* Significatur enim aquam in nivem converti, & ex eadem rursus effluere. Diomedes. *Mare concretum in cretâ, ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludebat*; quo signifi catur sal in cretaceo salino, super mensam in quam manus talos jactabat. Ænigma dicitur ab ænittomai, i. obscurè loquor.

Inordinata orationis species.

Inordinatæ orationis species quinque: Tapinosis, Æschrologia, Cacophaton, Cacozelia, Caconsyntheton.

Magna *Tapinosis* tenui sermone recludit.

Tapinosis, est humilitas magnæ rei, non id agente sententiâ quod demonstrat; apud Virg. *Dulichias vexasse rates.*--- Pro atrocissime raptasse, ac laniasse; à tapinos, i. humilis.

Æschrologus nobis obscœna oratio fertur.

Æschrologia, est vitio compositionis inverecunda oratio: aut compositio verborum obscœnæ significationis, &c. aut obscœna pronunciatio, ab aischros, i. turpis.

Est *Caco* ritè *phaton*, quicquid sonat haud benè nobis.

Cacophaton, aut *cacephaton*, est obscœna pronunciatio, vel in compositione, vel in uno verbo. *Arrigere* apud Poëtas obscœnè capitur; ut *Arrige aures Pamphile.* Cacon, i. malum, phaton, dictum hoc est male sonans dictum.

Esto *Cacozelon* prava affectatio nobis.

Caco-

Cacozelia, est per affectationem decoris corrupta sententia: cum eo ipso dedecoretur oratio quo illam voluit author ornare, ut *Aureus axis erat, temo aureus aurea summa.*

Curvatura rota, radiorum argenteus ordo, &c. Cacozelon, i. mala affectatio, à cacos malus, & zelus affectatio.

Haud bene compositum *Cacosyntheton* esto Latinis.

Cacosyntheton, est vitiosa dictionum compositio, vel indecens scriptura, ut *--versaque juvencum. Terga fatigamus hastâ.* Cacosyntheton transfertur male compositum. à cacos malè, syn con, & theton, positum.

Dictio transformata Poëtæ sit *Metaplasmus.*

Metaplasmus, est transformatio quædam recti solitique sermonis in alteram speciem metri, ornatûs necessitatisve causa; ut *cælicorum induperator:* à meta, i. trans, & plasma, i. figmentum.

Metaplasmi species sunt quatuordecim: Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, Aphæresis, Syncope, Apocope, Ectasis, Systole, Diæresis, Synæresis, Eclipsis, Synalœpha, Antithesis, Metathesis.

Adjice principio quicquam, sic *Prosthesin* edes.

Prosthesis, est appositio quædam ad principium dictionis literæ vel syllabæ: ut gnate pro nate: tetulit pro tulit: astat pro stat. Dicitur à pros. i. ad, & thesis positio, hoc est appositi

Adjice quid medio, sic fiet *Epenthesis* apte.

Epenthesis, est appositio quædam ad mediam dictionem literæ vel syllabæ: ut Relliquias, gemino ll, pro reliquias alituum pro alitum. Epenthesis dicitur ab epi & en, quæ conjuncti significant inter, & thesis positio, ut sit interpositio.

Adjice quid fini, pulchram facies *Paragogen.*

Paragoge, est appositio quædam ad finem dictionis: ut potestur pro potest: à para, i. ad: & agoge, i. ductio, hoc est adductiò. Lucret. *Quod tamen explori nullâ ratione potestur.*

Aufert quid capiti Vates, ut *Aphæresin* edat.

Aphæresis, est ablatio de principio dictionis literæ vel syllabæ contraria Prosthesi: ut *pone metum*, pro depone: ab aphaireo, i. aufero.

E medio quicquam tollas, ita *Syncopa* fiet.

Syncopa, est ablatio de mediâ dictione literæ vel syllabæ contraria Epenthesi: ut audacter pro audaciter: à syn, i. con, & copto, incido. Est enim concisio: ut dixti, commôrat, pro dixisti, commoverat, &c.

Est *Apo* nempe *cope* quicquam de fine recidens.

Apocope, est ablatio de fine dictionis, literæ vel syllabæ contraria Paragogæ: ut Achilli pro Achillis; ex apo, i. ab, & copto scindo.

Ectasis extendit tibi jure puer breviandam.

Ectasis, est extensio syllabæ contra naturam verbi: ut Italia prima producta, quæ naturâ alioqui corripitur. Dicitur ab ecteino, i. produco. Eadem Diastole vocatur.

Producenda foret, quam *Systola* corripit ipsa.

Systole, est correptio syllabæ contra naturam verbi facta, contraria Ectasi: ut Aquosus Orion, prima brevi pro Orion, primâ longâ, à Systello, i. corripio.

Syllaba per binas divisa *Diæresis* esto.

Diæresis, est divisio unius syllabæ in duas: ut Aulaï pro aulæ: à diaireo, id est divido.

Syllaba de binis est facta *Synæresis* una.

Synæresis, est conglutinatio duarum syllabarum in unam, contraria Diæresi: ut Phæton disyllabum pro trisyllabo: à synaireo in unum contraho, quasi divisorum conjunctio.

M, necat *Eclipsis*, ceu vocalem *Synalœpha*,

Ellepsis vel *Eclipsis*, est *m* literæ cum suâ vocali ante vocalem elisio. *Synalœpha*, est vocalis ante vocalem interemptio in diversis dictionibus. *O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* *Eclipsis* ab ec & leipo, i. deficio, Latine elisio. Synalœpha, i. collisio; á Synaleipho, i. conjungo.

Atitheses fiet tibi, litera si varietur.

Antitheses, est literæ pro litera positio, ut Olli pro illi: ab anti, i. pro, & thesis positio, quasi unius pro alio positio.

O curvæ in terras animæ, Elisii, inanes. Est

Eſt *Meta* nempe *theſis*, ſi tranſponas elementum.

Metatheſis, eſt literarum in alium locum transformatio, nullâ literâ è dictione ſublatâ: ut Evandre, Tymbre, pro Evander, Tymber: à meta, id eſt trans, & theſis poſitio, quaſi tranſpoſitio.

Præpoſitura quidem mutata, *Parallaga* fiet.

Protheſcôn parallaga, aut parallage, eſt præpoſitionum mutatio, cum altera pro alterâ ponitur: ut Æneid. 6. *Cui de te tantum licuit.*--- pro in te Protheſcôn parallage transfertur præpoſitionum mutatio, à pro, i. præ, antè, & theſis poſitio.

De Schemate.

Schemate dant ſpecies tibi *Lexeos* & *Dianœas*.

Schema, eſt quicquid à ſimplici atque in promptu poſito dicendi modo, vel poëticè vel oratoriè mutatur.

Schematis ſpecies ſunt duæ: *Dianœas*, i. mentis, vel ſenſûs, vel ſententiarum. *Lexeos*, i dictionis, verborum, ſermonis, orationum.

Schematis autem Lexeos ſpecies multæ ſunt, ſed neceſſariæ traduntur per quas ſimiles colligentur, Prolepſis, Zeugma, Hypozeuxis, Syllepſis, Aſyntheton ſeu Dialyton, Polyſyntheton, Anadiploſis, Anaphora, Epanalepſi, Epizeuxis, Paronomaſia, Scheſis onomatôn, Paromœon, Polyptoton, Hyrmos, Climax.

Schema transfertur cultus, figura, habitus. *Dianœa*, i. ſententia, *Lexis*, dictio.

Per partes reſerat totum, aut poſt facta *Prolepſis*.

Prolepſis eſt præſumptio rerum ordine ſecutarum, vel cum numerus antè verbo redditur, quàm perſonæ definiantur: ut

Interea Reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, &c.
---- bigis it Turnus in albis,
Tum pater Æneas, Romanæ ſtirpis origo,
Et juxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ,
Procedunt caſtris, &c.

Prolepſis item eſt, quum id quod poſterius accidit, ante tempus adſcribitur: ut 1. Æneid.--- *Lavinaque venit.*

Littora

Littora --- Lavinum enim nondum erat, quum ad Italiam venit Æneas. Et ita Prolepsis referat post facta, i. quæ posteà contigerunt.

Et dicitur prolepsis, à pro, id est ante, & lepsis sumprio.

Verbo uno plureis sensus per *Zeugma* recludo.

Zeugma, est unius verbi conclusio, diversis clausulis aptè conjuncta: ut *Adversatur libidini castitas, avaritiæ liberalitas, mediocritati luxuria modestiæ superbia strenuitati acedia* Zeugma interpretatur adjunctio, à zeugnyo jungo.

Jungit *Hypozeuxis* sua rebus verba quibusque.

Hypozeuxis, est figura zeugmati contraria, ubi suum cuique clausulæ redditur verbum. Virg. *Regem adit, & Regi memorat nomenque genusque. Quidque petat quidve ipse ferat*

Verbo uno varia est *Syllepsis* clausula nexa.

Syllepsis, est diversarum clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, veluti. Virg--*Hæc illius arma, Hæc currus fuit*.--A syn, i. con, & lepsis captio: ut sit conceptio.

Copula supprimitur, quo fiat *Asyntheton* apte.

Asyntheton, est oratio sine conjunctionibus necessariò subauditis: ut *Dum ætas, metus, magister prohibebant*; a privativâ particulâ a sine, syn, i. con; & theton id est positum, quasi incompositum.

Copula multiplicata facit *Polysyntheton* usque.

Polysyntheton est oratio multis nexa conjunctionibus. Virg.
--- *Athamasque, Thoasque,*
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon.
A poly, i. multum, & syntheton, i. compositum, quasi multipliciter compositum.

Est *Anadiplosis*, repetunt ubi carmina finem.

Anadiplosis, est versûs finis, in principio alterius repetitio: ut --- *sequitur pulcherrimus Astur,*
Astur equo fidens & versicoloribus armis.
Ab ana id est re, iterum, & diplosis duplicatio.

Prin-

Principium fit idem nonnunquam versibus aptè.

Anaphora, est relatio verbi ejusdem, aut similis per principia complurium versuum; ut,

Nate mea vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, &c.

Ab ana, i. re iterum, & phora latio.

Principio & fini reperitur versus eodem.

Epanalepsis, est cum eadem dictio, & principium versus, & clausulam tenet, ut.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Et transfertur reacceptio sive replicatio; ab epi & ana quæ conjuncta significant, re iterum, & lepsis acceptio.

Dictio format *Epizeuxin* cum vi geminata.

Epizeuxis, est ejusdem dictionis sine medio geminatio cum impetu pronunciationis; ut, *Meme: adsum qui feci in me convertite ferrum, O Rutuli, &c.* transfertur conjunctio aut combinatio.

In simili verbo ludit quandoque Poëta.

Paronomasia, est veluti quædam denominatio, vel quoties aliud nomen efficitur de alio, ut Næ isthæc inceptio, est amentium, haud amantium; à para, id est juxta, & onomasia denominatio.

Mobile cuique suum fixo connectitur apte.

Schesis onomatôn, est cum singulis nominibus epitheta connectuntur. *Marsa manus, Peligna cohors, festina virum vis*

Componitur ex nominativo schesis, i. habitus, & genitivo onomatôn, i. nominum, quasi habitus, vel habitudo nominũ

Principijs eadem est *Paromœon* litera multis.

Paromœon, est quando ab eisdem literis diversæ dictiones sumunt initium; ut *Machina multa minax minitatur maxima muris.* Paromœon, i. simile; à para, i. juxta, & homoios similis.

Verborum similis sit finis *Homœoteleuton.*

Homœoteleuton, est quum simili modo plurimæ dictiones finiuntur: ut *Bella horrida bella.* Dicitur ab homoios, i. similis, & teleuton i. finitum.

Casus

Casus *Homœoptoton* erit similis tibi multus.

Homœoptoton, est oratio uno similique casu compacta, & excurrens in eosdem & similes casus. Ennius, *Mœrentes, flentes, lachrymantes, ac miserantes:* ab homoios, i. similis, & ptosis casus.

Bella *Polyptoton* varij sit clausula casus.

Polyptoton, est oratio casuum varietatē distincta, aut clausula varios casus retinens.

Littora littoribus contraria fluctibus undas
Imprecor, arma armis.---

Et dicitur à polys id est multus; & prosis, i. casus.

Sermonis series prælonga vocabitur *Hyrmos*.

Hyrmos, est series aut constructio orationis continuæ, tenorem suum in multos versus protendens. Virg. 6. Æneid.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit.---

Et dicitur Hyrmos, quasi syrmos, i. tractus, à syro, i. traho.

E verbo in verbum *Climax it* pulchra figura.

Climax, est de verbo in verbum gradatio, quæ dicta repetit, & priusquam ad aliud descendat in prioribus resistit: ut *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Transfertur scala vel gradatio.

De Tropis.

Vertit ad improprium *Tropus* omnia significatum.

Tropus, est verbi vel sermonis à propriâ significatione in aliam cum virtute mutatio: ut Vulpes pro astuto. Bacchus pro vino. Dicitur à trope, i. versio vel mutatio.

Tropi species sunt tredecim; Metaphora, Catachresis, Metalepsis, Metonymia, Antonomasia, Epitheton, Synecdoche, Onomatopœia, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole, Allegoria, Homœosis,

Propter rem similem pro verbis verba repones.

Metaphora, est rerum verborumque per similitudinem translatio; ut *rident prata*, à metaphorein. i. transferre.

Esto

Esto *Catachresis* bona vocis abusio nobis.

Catachresis, est usurpatio nominis alieni: ut parricidam matris quoque, aut patris interfectorem dicimus: quum propriè sit patris, à cata, i. contra, & chresis, i. usus, quasi contra usum.

At *Metalepsis* erit transumptio facta gradatim.

Metalepsis, est transumptio gradatim facta, cum dictio aliud à sua propriâ significatione ex his quæ præcesserunt denotat; ut *Post aliquod mea regna videns mirabor aristas.* Virg. Ec. 1.

Post aliquod aristas, ergo post segetes, & sic post æstates, & deinde post aliquod annos: à meta, i. trans, & lepsis sumptio vel acceptio.

Dico *Metonymiam, Bacchum bibo, Vina coronant.*

Metonymia, est nominum transmutatio, quoties pro inventore inventum, pro continente contentum, pro efficiente effectum, pro possesso possessorem; aut contra capimus. Metonymia transfertur nominis transmutatio: à meta, i. trans & onoma, i. nomen.

Appellativum proprij vice sæpe locatur.

Antonomasia est vocabulum quod sine nomine positũ proprio ejus loco fungitur: ut Magnanimus Anchisiades, pro Ænea, Saturnia pro Junone. Transfertur pronominatio aut pronomen: ab anti id est pro, & onoma, id est nomen.

Exornat carmen fixo bene mobile quadrans.

Epitheton, est appositum nomini adjectivum, perpetuam ferme naturam rei indicans: ut *Alma Ceres, pulchra Venus, tristia bella:* ab epi, i. ad, & theton positum: quasi appositum.

Cum pars pro toto contrave, *Synecdoche* habetur.

Synecdoche, est figura cum à parte totum intelligitur, aut contra: numerusque pro numero sumitur; ut

Da requiem puppi, veniet cum frigidus annus.

Pro navi & hyeme. Transfertur comprehensio.

Sæpe sonus causam fingendi nomina præstat.

Onomato-

Onomatopœia, est dictionis ex sono confictio: ut Mugio, pipio, hinnio: ab onoma, id est nomen, & poieo, id est fingo: Unde est nominis fictio.

Rem circum loquimur fit quando *Periphrasis* apta.

Periphrasis, est circum locutio quædam, cum id quod uno aut paucioribus verbis dici potest, pluribus explicatur. Virg.

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Id est dies oriebatur, dicitur à peri id est circum, & phrasis locutio: ut circumlocutio.

Valde turbatus vocum sit *Hyperbaton* ordo.

Hyperbaton, est transcensio quædam verborum ordinem perturbans. Virg. Æneid. 12. 161.

Interea Reges; ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Auratibis sex radij fulgentia cingunt:
Solis avi specimen. Bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo,
Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis:
Et juxta Ascanius (magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris.----

Hyperbaton, verbi transgressio transfertur, ab hyperbaino, id est transcendo. Cujus species sunt quinque: Hysterologia, sive Hysteron, Proteron, Anastrophe, Parenthesis, Synchysis, Tmesis.

Hysteron & *proteron* postponas si ante locanda.

Hysteron proteron est sententiæ cum verbis ordo mutatus. Virg. *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.*

Prius enim frangunt saxo quam torrent. Alij nolunt esse Hysterologiam. Hysteron, id est ultimum vel postremum, proteron, id est prius. Hysterologia, præposterа locutio.

Ordo inversus erit tibi *Anastropha* præposituræ.

Anastropha, est verborum tantum ordo præposterus; ut *Italiam contra, maria omnia circum.* Anastrophe est eversio vel inversio ab anastrepho.

Inter-

Interjecta *Parentheſis* eſt ſententia quævis.

Parentheſis, eſt interpoſita formatio diverſæ ſententiæ, ut

Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naveis præmittit Achatem.

Transfertur interpoſitio.

Synchyſis eſt prorſum vocum, aut confuſio ſenſus.

Synchyſis, eſt hyperbaton obſcurum, & omni parte confuſum; *Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet,*

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Synchyſis eſt confuſio: à ſyn, id eſt con, & chyſis fuſio.

Quoquam interpoſito per *Tmeſin* verbula ſcindo.

Tmeſis, eſt unius compoſiti vel ſimplicis ſectio, una dictione vel pluribus interjectis: veluti,

Eſt Boreæ regio ſeptem ſubjecta Trioni.

Tmeſis diſyllaba dictio eſt, idem ſignificans quod ſectio; à temno i. ſcindo. Eadem vocatur Diacope, i. interciſio.

Exceſſûs fidei manifeſtus *Hyperbola* fertur.

Hyperbole eſt oratio excedens fidem, augendi, vel minuendi cauſâ: Augendi, ut Nive candidior: minuendi, ut, vix oſſibus hærent; ab hyper, i. ſuper & bole vel bolos, i. jactus.

Dic *Allegoriam*, ſenſu ſi verba repugnent.

Allegoria, eſt tropus quo aliud ſignificatur, aliud dicitur, & ita verba ſenſu; i. ſenſui repugnant.

Virg. 2. Georg.

Sed nos immenſum ſpatio confecimus æquor:
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Id eſt, quæ tractanda fuerunt, affatim explicuimus. Dicitur ab allo & agoreuo, i. ab aliud agendo.

Illudens ſermo recte *Ironia* feretur.

Ironia, i. diſſimulatio aut illuſio, qua contraria oſtenduntur, ſenſui. quam verba præ ſe ferunt: ut.

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis,
Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen.

Et dicitur ab eironeuomai, quod eſt diſſimulo, & cavillatoriè decipio.

Anti-

Antiphraſis verbum ſit per contraria dictum.

Antiphraſis eſt unius verbi Ironia: ut bellum, quod minime bellum: ſic & lucus quod minimè luceat. Antiphraſis eſt per contrarium locutio: ab anti, id eſt contra, & phraſis locutio.

At *Charientiſmos* tibi molliet aſpera dictu.

Charientiſmos, eſt tropus quo dura dictu gratius proferuntur: ut Si interroganti, *Num me quæſivit quiſquam?* Reſpondebis, *Bonæfortunæ*, i. nemo. Charientiſmos, i. gratificatio & urbanitas.

Sermo procul notus, feſtiva *Paræmia* fertur.

Paræmia, eſt accommodatum rebus & temporibus proverbium: *Lupus eſt in fabula*, i. adeſt is cujus in præſentia loqui veramur: à para, i. juxta, & oime, i. cantus vel cantilena quaſi juxta omnium cantilenam.

Sarcaſmos nobis hoſtilis riſio habetur.

Sarcaſmos, eſt plena odio atque hoſtilis deriſio, ut Pyrrhus ad Priamum. --- *Referes ergo hæc, & nuncius ibis*
Pelidæ genitori, illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
A Sarcazo, diducto rictu, & carne nudatis dentibus irrideo, quod à ſarx caro.

Simplicitas, *Aſteiſmos* erit, ſi ruſtica deſit.

Aſteiſmos, eſt tropus multiplex, numeroſæque virtutis. Nam eſt quicquid ruſticâ ſimplicitate caret, & facetâ ſatis urbanitate exprimitur. ut apud Virgilium in Bucol.

Qui Bavium non odit amet tua carmina Mœvi;
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
Dicitur ab Aſteios i. urbanus.

Nota parum demonſtrat *Homœoſis* magè notis.

Homœoſis eſt rei minus notæ per ſimilitudinem ejus, quæ magis nota eſt demonſtratio. Cujus ſpecies tres ſequuntur. Icon, Parabola; Paradigma: ab homoios, i. ſimilis.

Eſt *Icon* quoties formæ bene confero formam.

Icon, est personarum inter se, vel eorum, quæ personis accidunt, comparatio: *Os humerosque Deo similis.*---- Icon iconis, i. imago vel similitudo.

Jure disertus erit quisquis rem comparat aptè.

Parabola, est rerum genere dissimilium comparatio: ut

Qualis mugitus fugit cum saucius aras
Taurus: & incertam excussit cervice securim.

Parabola dicitur adjectio: à para, i. juxta, & bole jactus; à ballo, jacio: ut sit adjecta cuique rei comparatio.

Exemplum facti vel dicti sit *Paradigma*.

Paradigma, est exempli hortantis vel dehortantis enarratio. Hortantis, *Antenor potuit mediis elapsus Achivis.*

Illyricos penetrare sinus, &c. Dehortantis.

At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.

Paradigma est exemplum: à Paradiknyo, i. exemplifico: à para i. juxta & digma, i. signum.

Miscellanea reliquarum figurarum declaratio.

Multa figurarum descriptio nomina sumit.

Figurarum descriptiones varijs è rebus varia sortiuntur nomina: ut descriptio Temporis, *Chronologia*, Loci, *Topographia*, Natalis, *Genethliacon*, Pugnæ, ut *Monomachia*, duorum singulare certamen: *Naumachia*, pugna navalis.

Invenies versum repetitum sæpe decenter.

Epimone, est ejusdem versus frequens repetitio. Virg.
Incipe Manalios mecum mea tibia, versus.

Intercalaris versus dicitur. Interpretatur perseverantia & insistentia: ab epimonôs, i. constanter.

Respondere solent scriptores objiciendis.

Anthypophora est ad objicienda responsio: ut

Sum pius, heu doleo nam mihi sæpè nocet.

Posset quæri, Cur doles te pium esse? Huic tacitæ quæstioni sic occurritur, nam mihi sæpe nocet. Anthypophora est solutio, Hypophora namque objectio dicitur. ab anti, i. contra & hypophara quasi contra objectionem.

Quas

Quas tibi declarat *Syntaxis* non repetemus.

De appositione, evocatione, conceptione, prolepsi, zeugmate, antiptosi, syntheſi, & synecdoche, *&c.* quæ in Syntaxi dicta ſunt, haud operæ precium fuerit hic repetere, itaque illis ſuperſedendum cenſeo.

Rem nimis ut notam ferimus nos ſæpe tacere.

Paraſiopeſis, eſt quum aliquid nos reticere dicimus, utpote omnibus notum: ut ſuſpicionem excitare majorem reticendo poſſimus: quale eſt illud, *In præſentiâ, judices, injuſſu populi quæ improbiſſimè geſſerit, reticebo.* Dicitur à para, i. apud, ad, præter, & ſiope, i. ſilentium.

Fingere perſonam res eſt percrebra Poetæ.

Proſopopœia eſt perſonæ fictio, quoties inanimatum ad animatum loquitur, aut contra animatum ad inanimatum. Ovid. *Parve, nec invideo, ſine me liber ibis in urbem.*

Hei mihi quod domino non licet ire tuo!

Et apud eundem in Metamorph. ubi terra loquitur. Dicitur a proſopon: i. perſona, & poieo, facio vel fingo.

Laudatur verbi repetitio facta decenter.

Epanodos, eſt cum decore dictionis repetitio, ſive regreſſio plerumque cum negatione, & interdum ſine eâ fit: *Principatus bonus eſt, &c. Non bonus autem, qui in tyrannidem convertitur.* Fit ex epi & ana, quæ conjuncta iterum vel retro indicant, & hodos via, quaſi in priorem viam regreſſio, ſed omittitur aſpiratio in compoſitione.

Virtutum vitijs interdum nomina dantur.

Paradiaſtole eſt cum rem noſtram dilatamus per interpretationes: ut, Cum aſtutum ſapientem vocamus, prodigum liberalem, temerarium fortem. Componitur ex para, id eſt juxta, & diaſtole, i. dilatatio.

Hendiadyn facies ſolvens in mobile fixum.

Hendiadys eſt figura cum reſolvitur ſubſtantivum in adjectivum: ut --- *Chalybem frænoſque momordit*, pro chalybeos frænos. --- *Pateris libamus & auro*, pro aureis pateris.

Ab

Ab hen, id est unum: & dia, id est per: & dyo, i. duo, quando unum per duo dicitur.

Quando pati quod agit fero, contràve *Hypallage* habetur.

Hypallage, est figura, cum verbum per diversum intelligitur, quum quod paritur, agere dicitur, aut contrà; ut *Trade rati ventos*, pro trade ratem ventis. Ex hypo, i. sub; & allage, i. mutatio.

Liptote erit quoties plus significans minus aio.

Liptote, figura est quâ minus dicimus quam significamus, ut Haud parum doctus, i. Multum; à leipomai, i. deficio. Rectius dicitur Litotes, i. tenuitas; à litos tenuis: nam liptote est vox tantum ex eo corrupta: sed versus non admittet litotes.

Antitheton fiet quoties contraria nectes.

Antitheton, est figura quâ contraria contrarijs opponuntur; ut. *Frigida pugnabant calidis humentia siccis.*
Mollia cum duris sine pondere habentia pondus.
Antitheton, i. contra positum: ab anti, contra, & theton positum.

Quæstio *Erotema* est inter numerata figuras.

Erotema, est interrogatio, ut,
Quis furor, O Cives? Quæ tanta licentia ferri.
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Ab Erotao, i, interrogo.

Dicta prius declarat *Epexegesis* aperte.

Epexegesis, est ante dictorum expositio vel declaratio: ut
Tolle fugâ Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Dicitur ab epi, i. supra, & exegesis, i. expositio.

Emphasis est sensus major quam verba recludant.

Emphasis, est figura altiorem præbens intellectum, quam verba ipsa declarant: ut Juven. Sat. 1.
Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

In

In *ego* eſt Emphaſis apud Juvenalem. Emphaſis transfertur ſignificatio: ab Emphaino, i. demonſtro.

Quod nihil ad ſenſum facit, eſto *Parelcon* ubique.

Parelcon, eſt dictionis aut ſyllabæ nihil ad ſenſum facientis adjectio; ut *Adeſdum*, *paucis te volo*. *Dum* parelcon eſt, ſyllabica adjectio. Dicitur a parelco, i. produco.

Ob pulchram vocem quid factum *Euphonia* fertur.

Euphonia, eſt mutatio quædam venuſtioris gratiâ ſoni; ut redeo pro reeo: ab eu, i. bene, & phone vox, quaſi bona vox.

Verſus ad abſentem dicetur *Apoſtropha* ſermo.

Apoſtrophe, eſt ad abſentem ſermonis converſio, *Te nunc appello Africane*, &c. ab Apoſtrepho, i. averto.

Dic *Allœothetam* contra artem quid variatum.

Allœotheta, eſt accidentium contra artem mutatio; ut 1. Æneid. *Pars in fruſta ſecant, verubúſque trementia figunt.*

Continet enim ſub ſe Antiptoſin, Syntheſin, & plures alias figuras: Et vertitur aliter poſita: ab alloios, i. alius, & varius, & theton, i. poſitum, theſis, poſitio.

FINIS.